DISSERTATIO
DE
SOMNAMBULATIONE.

Quam Deo duce & auſpice Dei-Parâ tueri conabitur in auguſtiſſimo Monſpelienſi Apollinis Fano, ab horâ octavâ ad meridiem, die menſi Octobris anni 1748. ANTONIUS BARADAT Marmandenſis apud Aquitanos, Artium Liberalium Magiſter & Medicinæ Alumnus.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

PRÆSIDE.

R. D. JACOBO LAZERME, Regis Conſiliario ac Medico, nec-non in Almâ Medicorum Monſpelienſium Academiâ Profeſſore Regio Illuſtriſſimo.

MONSPELII,

Apud AUGUSTINUM ROCHARD, Regis & Univerſitatis Typographum unicum. 1748.

R. R. D. D.

PROFESSORES REGII.

Illustrissimus D. D. FRANCISCUS CHICOYNEAU, Cancellarius & Judex, Regi à Secretioribus Consiliis, Archiatrorum Comes.

DISPUTATURI.

R. D. PETRUS RIDEUX, Decanus.
R. D. ANTONIUS MAGNOL.
R. D. HENRICUS HAGUENOT.
R. D. JACOBUS LAZERME.
R. D. EUSTACHIUS MARCOT, Regis, Medicus perpetuò Ordinarius.
R. D. ANTONIUS FIZES.
R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

DOCTORES ORDINARII.

D. Huguo Gourraigne.
D. Claudius Chaptal.
D. Carolus Serane.
D. Thomas Fitzmaurice.
D. Honoratus Petiot.
D. Jacobus Farjon.
D. Franciscus Lamure.
D. Franciscus Imbert.
D. Joannes-Bapt. Benaset.
D. Andreas Devals.
D. Joannes Vedrene.
D. Andreeas-Zacharias Arnaud.




B. F.

ILLUSTRISSIMO

NOBILISSIMO QUE VIRO D.D.

FRANCISCO-CAROLO-HENRICO

DE MARTIN,

EQUITI, COMITI DE MARCELLO; Domino Domûs Nobilis de Martin, de Tartifumo, & Terraforti, Baroni de Marensino, & de Capbritone, Regio Aquitaniæ Præfecto.

NEC diu hæsi ut opusculum hoc sub tuis auspitiis prodiret, non solum ut observantiæ meæ publicum esset testimonium, verum adhuc ut officiorum quæ in parentem colendissimum

contulisti memoria publicca foret. Quam exiguum sit munus oblatum sentio, quanta vero erga familiam benevolentia cognosco, & nisi tuâ urbanitate fretus, vix unquam ausus essem opus tam exiguum sub tantis auspitiis in lucem prodere, scio etenim unà cum toto eruditorum orbe quæ erudita, quæ preclara opera in publicum protuleris; huic eximiæ eruditioni tot preclara in bello gesta aecedunt, ut virum omni genere virtutum ornatum te prædicare meritò possimus. Benevolè quæso hoc munusculum accipias, meque in tuam tutelam recipere digneris, & persuasum habe me fore semper devotum & addictissimum Clientem.

BARADAT.

DISSERTATIO

DE

SOMNAMBULATIONE.

MIRA & plane incredibilia quæ de Somnambulis dicuntur, cum quiſquam vix ſibi perſuaſum habere poſſit, hominem ſomno profundo correptum, è lecto ſurgere, fores domus aperire, ad campos expatiari, per loca difficilia, periculoſa firmo pede incedere, cæteraſque actiones edere, quas vigilans edere ſolebat, ac dein in lecto iterum ſe componere, ſomno nullatenus interrupto, qui mane evigilans eorum quæ per ſomnum geſta ſunt immemor eſt, aut pro ſomniis reputet. Hæc fictitia haberentur ni tot autorum obſervationibus conſtarent, ac frequentibus Somnambulorum exemplis comprobarentur. Quapropter cum tot argumentis conſtet hujus rei veritas noſtrum eſt inquirere, quæ ſit Somnambulationis ratio.

Verum cum Somnambulatio ſomni ſpecies ſit, ut ea quæ ad ipſam pertinent facilius intelligantur, aliqua de ſomno naturali eſſe præmittenda cenſemus. Eſt autem ſom-

nus quædam feriatio vel intermiſſio ſenſus interni ſimul & externorum, vel externorum tantum, ad corpns reficiendum à naturâ deſtinata. E quâ definitione liquet duplicem eſſe ſomni ſpeciem, unus enim eſt in quo ſenſus internus & externi ſimul feriantur, alter verò ab externorum ſenſuum feriatione fit. Primus vires reficit, corpus alit atque ſuſtentat, & vera eſt tam animæ quam corporis quies, alter minus vires reficit ac corpus alit, nec animæ quies eſt, quæ variis phantasmatis atque inſomniis ut plurimum agitatur.

Hæc ſenſuum feriatio à preſſione ſanguinis intra cerebrum lentiùs provoluti & quadantenus hærentis inducitur, quâ preſſione fit ut fibræ emporii vibratiles à tenſione remittant, ac liquidum nerveum in ſubſtantiâ corticali è ſanguine ſecretum partiùs ad fibras medullares fluat, nec-non à mole cerebri incumbente nervorum origines premantur, ſic totum collabaſcit cerebrum ac laxatis ſenſuum externorum organis, impreſſiones ab objectis externis illatæ emporio communicari nequeunt, unde ſenſuum pariter ac motionum voluntariarum vires torpore atque ignaviâ debilitantur modò majori modò minori prout preſſio fibrarum in cerebro major aut minor eſt, ſeu ſanguis magis aut minus in ipſo hæret; quæ, humorum in capite hærentia à debilitatâ meningum oſſillatione, & infirmato vaſorum ſanguiferorum motu ſiſtaltico præcipue procedit, cum enim vigilia ſit ille hominis ſtatus quo libero ſenſuum motionumque omnium uſu & exercitio fruitur, quæ ſine continuâ meningum oſſillatione, & aſſiduo vaſorum cerebri ſanguiferorum motu ſiſtaltico exerceri minimè poſſunt, ex eo fit, ut meninges continuis oſſillationibus tandem laſſatæ, & vaſa ſanguifera repetito ſiſtaltico motu fatigata, ſanguinem cordis vigore impulſum lentiùs debiliùſque expellant, qui paulatim in vaſis cerebri congeſtus, preſſionem fibrarum medullarium & ſomnum inducit, donec quiete & illâ remiſſione motus, reparata novumque vigorem ſuſcepta, ſanguinem vali-

diùs & expeditiùs pellant, ſicque circuitu ſanguinis per cerebrum liberiore facto, vigilia tandem ſomno ſuccedat.

Hanc ſomni cauſam immediatam eſſe non minùs modus quo ſomnus inuadit, quam cauſæ quibus ille excitatur & inducitur oſtendunt. Nam priuſquam ſomnum capiamus plenitudine quâdam capitis & gravatione ſæpè inviti ad eundem invitamur & compellimur, hinc ſenſuum vis labaſcit, connivent palpebræ, nutat caput, enervantur artus, & pedes vacillant, motuſque corporis quo prius erectum ſervabatur flacceſſit, ac decumbendi neceſſitas urget, corpus ſuo pondere facilè concidit, & nihil motus voluntarii remanet, nihil ſenſus præter confuſas quaſdam mentis cogitationes quæ ſomnia vocantur. Corpus verò dormientis ut mortui jacet, languidum, molle flaccidum & flexile, nec quicquam membra moventi renititur. Quæ certè omnia quandam fibrarum cerebri preſſionem, & hinc orientem nervorum relaxationem arguunt.

His breviter de ſomno naturali præmiſſis, non erit difficile naturam Somnambulationis & cætera quæ ad ipſam ſpectant exponere.

DEFINITIO.

Definiatur itaque Somnambulatio, hæc ſomni ſpecies, in quo dormientes è lecto inſcii ſurgunt, ambulant, & vigilantium munera exercent. Circa quæ obſervare juvat Somnambulos non ut plurimum inaſſueta munera exercere, ſed ea præcipue quibus exercendis jam uſu ſunt aſſuefacti.

Ex doctrinâ ſomni naturalis manifeſtum eſt in ſomno modo relaxari organa ſenſuum externorum ſimul & ſenſus interni, cujus motionibus anima operatur, modo verò nervos ſenſuum externorum, dum adhuc aliqua tenſio in

fibris emporii viget, quâ fit ut motus quidam in emporio exsuscitentur, undè confusæ oriuntur mentis cogitationes quæ somnia vocantur. Ex quo inferre possumus causam proximam & immediatam somnambulationis esse relaxationem nervorum sensibus externis famulantium, dum fibræ emporii hanc fere tensionem habent, qualem in vigiliâ servare solent. Fibræ emporii hanc tensionem præ nervis sensuum externorum habere possunt, nativâ constitutione & rigiditate, cum ipsas firmiorem à naturâ tonum obtinuisse nihil obstet, vel sanguinis diathesi liquidum ipsas tendens etiam per somnum copiosè suppeditantis, aut demum sanguine ipso fervidiore intra cerebrum æstuante, cujus æstu liquidum emporii incolam magis exagitari, ac fibras ejusdem magis tendi oportet, dum mole cerebri, nec-non sinubus, ac vasis sanguiferis per basim cerebri reptantibus, origines nervorum qui sensibus externis famulantur, comprimi & collabi necesse est. Quod ex eo colligitur, senes & pueros nunquam, juvenes verò & adultos hoc affectu tentari, rursus melancholicos & biliosos potissimùm aggreditur, ut ex observationibus autorum manifestum est, demum nec singulis diebus Somnambulatio accidit, sed per periodos erraticos, rariùs sæpiùsve recurrit, tumque præsertim cum mens interdiu de re aliquâ attentè cogitaverit, aut usu potus spirituosi vel ciborum excalefacientium, aut quâcumque aliâ de causâ sanguis magis æstuat ac feruidior fit, quæ sanè opinionem nostram non parum confirmant.

CAUSÆ.

Ad Somnambulationem disponunt ætas juvenilis, temperamentum biliosum, melancholicum, nativa fibrarum emporii constitutio, hanc verò remotè producunt sive hanc dispositionem in actum reducunt, diurnæ cogitationes animam magnopere afficientes, atque imaginatio-

nem potenter commoventes, potus uberior vini generosi; liquorum ardentium, usus ciborum plurimo pipere ac cæteris aromatibus conditorum, vel facilè in stomacho & intestinis putrescentium, bilis copiam vel exaltationem promoventium, vel demum humorum æstum concitantium; Exercitia non assueta, æstuante potissimum aere, ut venatio, vel itineratio quæ urente æstatis calore peraguntur, item capitis radiis solaribus æstuante calore diuturnior & inassueta expositio. Hæc dispositionem juvant, & Somnambulationis paroxismum pariunt, quæ tamen per se, & citra hanc dispositionem Somnambulos minimè efficerent, ex quo facilè inferri potest, cur somnambuli tam alacres sint, cur imaginationis acies in eis tantoperè vigeat, cur ad omnes corporis motus tam agiles, tamque proni, ut in eo cæteros juvenes multùm superare soleant. Neque opus est ut laboremus in ulteriori causarum explicatione, cum earum agendi modus tum ex simplici ipsarum expositione pateat, tum ex superiùs dictis facilè colligi possit.

SIMPTOMATA.

1o. Somnambulatio est somni species, quia de facto Somnambulones dormiunt, non somno perfecto seu absoluto qui à feriatione sensus interni simul & externorum procedens, tam animæ quam corporis quies est, sed somno minus perfecto & absoluto, qui feriatione sensuum externorum fit, quandoquidem nervi his sensibus inservientes relaxati munera sua exercere non possunt. Nam dormire is dicitur, cujus sensus externi feriantes, ea quæ foris fiunt animæ representare non possunt.

2o. Somnambuli è lecto inscii surgunt ambulant,& vigilantium munera exercent. Quæ somni speciem Somnambulationem constituentem demonstrant. Quoniam enim in hâc somni specie emporii fibræ hanc tensionem habent,

qualem in vigiliâ ſervare ſolent, ſive nativâ conſtitutione, ſive ſanguinis diatheſi liquidum ſpirituoſum uberiùs miniſtrantis ac intra cerebrum eferueſcentis, dum Somnambuli ſomno indulgent, ſanguis ad cerebrum appellens liquidum emporio ſuppeditare non ceſſat, quod in ſubſtantiâ corticali ſecretum ac dein ductus medullares permeans propter collapſas nervorum origines in emporio retinetur, ubi paulatim accumulatum fibras ejuſdem vibratiles tendit, eaſque ad ſenſus internos exercendos diſponit; verùm quoniam vigente ſomno ſanguis cerebrum circuire non ceſſat, ergo neque deſinent motus meningum reciproci, neque reciprocæ arteriarum cerebrum alluentium diaſtoles atque ſiſtoles, quibus & liquidum emporii moveri, agitari, & fibras emporii vibrari neceſſe eſt. Verùm Deus animæ modificationes motionibus harum fibrillarum alligavit, modificari igitur animam ſeu aliquid percipere neceſſe eſt, tametſi ſenſus externi ob relaxationem à munere ſuo ferientur, quoniam verò non æqualis eſt ſingularum fibrarum emporii tenſio, nec omnes arteriæ æque in cerebro micant, non omnes quoque emporii fibræ æqualiter vibrabuntur, ſed ea præ cæteris magis quæ majorem tenſionem habebit, ſeu quia in die ſæpiùs ab objecto quopiam præſente fuit vibrata, ſeu quia propter uſum & conſuetudinem edendis vibrationibus jam ſit ſolita, cum liquidum nervorum in vigiliâ hàc tendere conſueverat, ſeu demum caſu & fortuitâ cerebri diſpoſitione liquidum nervorum ad hanc potiùs quam aliam partem emporii confluat, ad unam igitur aut alteram tantùm ideam anima attendet, ſeu objectum aliquod peculiare contemplabitur, quâ animæ attentione juxta leges à ſupremo rerum conditore in homine formando ſtatutas, fiet, ut liquidum nervoſum ad fibram objectum repreſentantem uberiùs confluat, cujus affluxu magis tenſa, ac dein fortius vibrata ideam quoque vividiorem animæ repreſentat, ſeu ipſam fortius afficit. At quoniam juxta unionis leges anima in corpus, & corpus in animam reciprocè

agit, mens forti repreſentatione commota, ea operari deſiderat, quæ deſiderio ſeu voluntati conceptæ adimplendæ neceſſaria exiſtimat, ideoque ad hujus nutum & imperium liquidum ſpirituoſum vehementer ad hæc organa compellitur quæ ad ea exercenda uſu & conſuetudine neceſſaria utiliave eſſe jam cognovit, ſeu ad varios muſculos qui his motionibus edendis inſerviunt, ſucceſſivè impellitur, ut ſic contractis muſculis è lecto ſurgat, & ad varia loca ſe conferat, quæ uſu, conſuetudine ac frequentatione cognoſcit Nec mirum ſi Somnambulus prius claves captum eat, dein fores domus aperiat, ac in campos ſibi uſu jam cognitos expatietur, cum harum omnium rerum ideæ ſæpiùs antè repreſentatæ, conſuetudine ita fuerint ligatæ, ut unâ ſemel excitatâ, aliæ menti illicò repreſententur, ſic eſt enim comparatum emporium, ut una fibra mota aliarum quoque motus cauſa ſit, quia fibra mota liquidum ſpirituoſum movet, illùdque ad fibras vicinas pellit. Inſcius tamen eſt Somnambulus eorum quæ operatur, nec periculum ipſi incognitum cui occurrit, vitare poteſt, quia laxatis ſenſuum externorum organis ac ſomno indulgens omnium circumſtantiarum ignarus eſt, quibus ad ea quæ operatur reflectere, & pericula incognita vitare poſſet, quas circumſtantias mentis reflexioni adeo neceſſarias, niſi ope & miniſterio ſenſuum externorum cognoſcere valet. Demum quoniam Somnambulus dormit, nec quiſquam tempore ſomni ſui debitè campos eſt, ſeu actus mentis cum attentione, debitâque reflexione edit, inde fit ut Somnambulus quaſi mechanicè motus agat, quos vigilans cum reflexione ederat, eoſque ad finem ſibi propoſitum obtinendum cum maturâ deliberatione liberoque voluntatis actu adhibuerat.

30. Somnambulones iis quæ imaginatione apprehenderant completis in lecto iterum ſe componunt, ac ſomno tranquillo dormiunt, quia repetitis variarum partium motionibus quæ ad Somnambulationem erant requiſitæ, ſanguis validiùs ad cerebrum impulſus preſſionem auget,

quâ non ſolum ſucceſſiva fibrarum emporii vibratio interrumpitur, imò & fibræ antea tenſæ laxantur, adeoque feriatio fit non ſenſuum externorum tantùm, imo ſenſus interni, unde tota vis imaginationis corruit, ac conſequenter Somnambulatio ceſſat.

4o. Somnambuli utplurimùm immemores ſunt, eorum quæ tempore paroxiſmi egerunt, aut ſi recordentur, ea pro ſomniis habent, quia plurima deſunt quibus anima ad ea reflectere poſſit quæ tunc operata eſt, neque enim omnium recordamur quæ apprehendimus, aut voluntate fecimus, ſed eorum tantùm quæ anima cum reflexione atque attentione peculiari operata eſt, quæ mentis reflexio plures circumſtantias ſupponit, deſumptas è loco, tempore, perſonis, rerum naturâ, atque connexione quas cum cæteris jam cognitis habent; proinde mirum nemini videri debet, ſi Somnambuli eorum ut plurimum obliviſcantur quæ dormientes fecerunt, cum ob relaxata, ſenſuum externorum organa, nullam fere ex his circumſtantiis noſcere poſſint, cum tot idearum conjunctio, ſenſuum externorum exercitium, quod veluti mentis vigilia eſt, neceſſariò ſupponat. Verùm id adhuc repeti poteſt, ex naturâ imaginationis, quæ quantumvis vivida & valida ſit, vim tamen ſenſationis non æquat, cum rerum omnium autor hominem formando ita decreverit, ut ab objectis præſentibus & organa ſenſuum afficientibus anima magis afficeretur, quam à ſimplici imaginatione quæ à motis tantùm fibris emporii fit, ea repreſentante.

5o. Somnambuli mira peragunt quæ vigilantes perficere nec aggredi auſi fuiſſent, ut dum ædium faſtigia ſine ſcalis aſſendunt, in puteos deſcendunt, ac præciptiis ſine damno ſe committunt. Quæ ex naturâ Somnambulationis jam expoſitâ facili negotio deduci poſſunt; quoniam enim tametſi Somnambulus è lecto aſſurgat, ambuletque, & munera vigilantium exerceat, hæc tamen ſine ullâ reflexione peragit, ſive abſqve ullâ cognitione omnium circumſtantiarum quæ res geſtas comitantur, idcirco

periculi pœnitùs ignarus cui se exponit, undè mens nec metu nec alio pathemate perturbata, influxum liquidi nervorum è cerebro ad partes neque sistit, neque perturbat, adeoque cum non interruptus, sed continuus & regularis, sit hujus liquidi ad partes influxus, regulares quoque musculorum contractiones, unde incessus regularis, firmus, & per loca periculosa securus. Idem demum iis accidit quod æbriis & delirantibus, qui eâdem temeritate ea sæpè efficiunt, atque iis periculis se exponunt quæ sobrii & sani aggredi non auderent.

DIAGNOSIS.

Somnambulantibus hoc commune est quod nocte surgant, dormientes ambulent, & eorum quæ egerunt non reminiscantur, vel ad ea pro somniis habeant. Quæ Somnambulationem ita clare significant, ut per hæc à quâvis aliâ somni specie distinguatur, nam somniloqui loquuntur, clamant, flent, rident, pedes manusque dormientes movent & exagitant, verùm nunquam è lecto surgunt, secùs verò Somnambuli qui dormientes, non vociferant, non clamant, non loquuntur, sed e lecto surgunt, ambulant, & loca varia petunt. Somnambulatio tamen ex ægri relatu dignosci non potest, sed eorum qui cum Somnambulis accumbentes, testes sunt omnium quæ Somnambuli peragunt.

PROGNOSIS.

Noctisurgium etsi plerumque nihil damni inferat, non ideò contemnendum aut negligendum, tum quia Somnambuli in vitæ discrimen sæpissimè adducuntur, dum ædium fastigia sine scalis ascendunt, per loca præcipitia iter faciunt, natandi causa flumina petunt, aliaque faciunt, quæ vigilantes præ metu facere nollent. Cum

fæpè recurrens graves capitis affectus ut epileptiam, coma quandoque producat, solet hic affectus sæpè ætatis decursu mutari, mutatâ humorum dispositione, quâ fibrarum emporii robur tensioque fovetur, hinc senes plerumque spontè deserit.

CURATIO.

Duo sunt curationis tempora, unum in proximo, aliud extra paroxismum. In paroxismo excitandus à somno Somnambulus, non remediorum vi, sed vociferatione, imo flagris, ac verberibus, ut mens his validè perculsa, verberum notitiam cum objecto Somnambulationis conjungat, adeo ut una idea absque alterâ non excitetur, sicque errorem suum mens ipsa corrigere possit, hâc enim arte plures Somnambulos fuisse sanatos experientia docuit. Hoc tamen in excitando Somnambulo semper observandum, quod nunquam sit excitandus, dum in flumine natat, vel in loco præcipiti est, ne cessante subito liquidi nervorum ad partes influxu, cesset quoque musculorum contractio, quibus motiones membrorum peraguntur, & Somnambulus proprio pondere ruat. Quapropter necesse est, ut aliquis cum ægro accumbat, qui eum è lecto surgentem, ambulantem in loco tuto atque securo, modo jam dicto exsuscitet. Verùm si his tempore paroxismi adhibitis affectus perseveret, quoniam plus vitii in humoribus & emporio esse indicatur, tunc extra paroxismum nonnulla præscribenda remedia, quæ sanguinem diluere, temperare, ac fibrarum emporii tensionem remittere possint. Adeoque victus ratio bona sit, æger modicè cibetur, cibis boni succi, non flatulentis, nec dispeptis vescatur; & præsertim vehementia animi pathemata vitet, quibus imaginatio commovetur, ne imagines diurnarum actionum vel cogitationum in somno recurrant. Dietâ sic institutâ sanguinem illicò è brachio mittere oportet, dein è talo, vasis sufficienter depletis purgatio celebrabritur.

Rec Senn: mundat. drg. iij rhe. contuſ. & tartar. ſolub. an drg. j. ſemin. lin. pug. j. coq. in aq. font. ad unc. xvj. in colat. & expreſs. diſſol. mann. calab. unc. ij. f. p. pro duplici hauſtu primo adde ſirup. flor. perſicor. unc. j. capiat.

Celebratâ purgatione juſcula pullorum refrigerantia per dies decem ſumenda preſcribentur, tum quoque hora ſomni ſirupus papaveris albi ad drg. IV. vel VI. exhibendus, potiſſimùm ſi ſomnus pacatus & tranquillus non fuerit, ſed ſomniis turbatus, quibus abſolutis, atque purgatione iteratâ, Somnambulum balneare per aliquod dies convenit. Finito balneationis tempore, æger aquas acidulas potabit, modo per anni tempeſtatem liceat, potuſque per dies decem continuabitur, ut ſic dilutâ, humorum maſſâ ſanguis fluxilior evadat, & fibræ emporii magis humeſcant. His ſeri lactis uſus ſuccedet, per dies quindecim vel viginti ſumendus, quo finito iterabitur purgatio, ac dein ad corroborandam digeſtionem, & ſanguinis fluxilitatem promovendam & conſervandam, ne cruditates in ſtomacho fiant quæ Somnambulatiouem foverent, ſequens parabitur opiata.

Rec Conſer. Kinorodon & flor. borragin. an unc. S. Kin. Kin in alcho. redact. drg. iij coral. rubr. præparat. & oculor. cancror. fluviat. an drg. ij. radic. pæon. mar. & enul. campan. pulveratar. an drg. j ſ. cum ſq. ſirup. limon. f. opiata ad drg. ij. ſumenda.

Hâc opiatâ bis aut ter in hebdomadâ per aliquod tempus utetur. Demum ſi affectus pertinax ſit, hiſque irritis perſeveret, eadem iteranda remedia quæ ſupra ſunt præſcripta, præſertim balnea domeſtica, & ſerum lactis, neque laudanum ut non nulli autores ſuadent eſt exhibendum, ne cerebrum nimium gravando coma, vel carum accerſeat.

FINIS.